



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Nicolai Revsneri Ivrisconsvlti Therothermae, siue Aqvae  
Ferinae**

**Reusner, Nikolaus**

**Lavingae, 1581**

**VD16 R 1499**

XII. In Nuptias D. Richardi Streinij, Baronis Schuarzenauij, & D. Reginae  
Dsernemeliae Baronissae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12416**

Quod dico, verum dico : multis hoc modis  
Expertus, in thermis sacris,  
Sectatus aprum quas venator repperit,  
Nymphis creatas blandulis.  
Prudentius nil te vidi, nil mitius :  
Nil suauius, vel iustius.  
Tot liberalis, tot benignæ dexteræ  
Communicasti munera :  
Ingratus ut sim, si velim silentio  
Oblitterari liuido.  
Dij dent tibi longam senectam : sed grauis  
Metu podagræ liberam :  
Ac coniugem cum filio castam diu,  
Ambasque natas sospitent.

XI.

Ad Erasmus Neusteterum,  
cog. Sturmerum EQ. FR.

Qui benè se noscit, benè noscit is omnia : viuam  
Sic faciem, speculi fulgor, ERASME refert.

XII.

In Nuptias D. Richardi  
Streinij, Baronis Schuarzenauij, & D.  
Reginæ Dsernemeliæ Baronissæ.

Quàm tibi triste fuit, viduo male viuere lecto :  
Tām socio nunc est viuere dulce ioro.

Reginæ

Reginæ rex cuiq; placet suus, ergo RICHARD  
REGINA M<sup>is</sup> socias, vietus amore, tibi.  
Quæ Veneris formam, mores Iunonis adumbrat.  
Principibus natis, principe digna viro.  
O te felicem, REGINA coniuge, regem:  
In qua par animo forma, genusque nitet.  
O te felicem rege hoc, REGINA, marito:  
Qui geminat morum nobilitate genus.  
Sit felix regnum, Christo sic auspice cœptum:  
Sit sine dissidijs, & sine labe torus.  
Vnus amor, mens vna, fides vos copulet vna:  
Fæcundetque pia prole, beatque domum.  
Tu rex Reginæ placeas: REGINA vicissim  
Gaudia det vitæ mille, RICHARD, tua.

XIII.

Iacobo Maripetro  
Patr. Veneto.

Mors viuens, amor est: aut mortua vita IACO-  
Irrequieta quies, dulcis amaror amor. (BE:

XIV.

Ad D. Carolum, Comi-  
tem Pal. Rheni.

Qui vult, CAROLE, nemini nocere,  
Prodesse omnibus: is Deum æmulari  
Semper discet, & hunc amare justus.  
Nam justissimus est Deus: nocetque

Nulli,